



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA  
DE  
**SPECIFICIS**  
EORVMQVE  
**OPERANDI MODO ET VSV**

QVAM  
AVXILIANTE SVMMO NVMINE  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
**GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE**  
MODERATORE

*VIRO ILLUSTRIS EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO*  
**DN. JOANNE JVNCKERO**  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBL. ORD. PRACTICO ORPHANOTROPH. ET PAEDA-  
GOGII REGII FELICISSIMO

FAVTORE PRAECEPTORE  
OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV  
AD CINERES DEVENERANDO  
**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS  
H. L. Q. C.

AD DIEM *SEPT. MDCCXLVII.*  
PVBLICAE PLACIDAEQVE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**GEORGIVS GOTTLOB MILDE**  
VRATISLAVIENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGER ACAD. TYPOGR.

DISSENTIO INHIBITUM A MEDICIS ANGLICIS  
DE  
**SPECIFICIS**  
FORVMORUM  
**OPERANDI MODO ET VSA**

AVALLIANTH SYMMO NAYRINE  
OPPEY KTS WOTRRIAT  
GRATIAS DE ACCEPIT VIV WEDDAS  
MORRATORE  
PRO DICTA FACULTATE ANTI XPRORWITANO  
**DR. JOHANNES JUNGKERO**  
MEDICINAE DOCTOR ET PRAECEPTOR  
PUB. ORN. SENSITIO OBTINUIT ET MEDA  
LUCI RICH. FLEISSING  
**FAVTORE PRAECEPTORE**  
OMNI DIGNO AC RELIGIO MENTIS CULTU  
AD CINES DEVENIENDO

**PRO GRADU DOCTORIS**  
MAGISTRI IN ARTE MEDICA PROMPTUS ET PRAECEPTOR  
PUB. ORN. SENSITIO OBTINUIT ET MEDA  
LUCI RICH. FLEISSING  
VND DIGNO AC RELIGIO MENTIS CULTU  
AD CINES DEVENIENDO  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**PROGRADU DOCTORIS**

HAEC DISSENTIO  
HIS JOHANNIS CHRISTIANI HINZELI AUCTORIS



VIRIS  
ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS, EXPERIEN-  
TISSIMIS, AMPLISSIMIS  
COLLEGII MEDICI ET SANI-  
TATIS VRATISLAVIENSIS  
MEMBRIS  
DIRECTORI  
DECANO

ET RELIQVIS  
EIVSDEM SPECTATISSIMIS  
ASSESSORIBVS  
MVNERVM SPLENDORE ORNATISSIMIS  
DOMINIS MAECENATIBVS  
ET PATRONIS

OMNI PIETATIS CVLTV AC OBSEQVIO  
AETATEM DEVENERANDIS

HAS QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS,  
CVM VOTO FELICITATIS PERENNATVRAE  
SACRAS ESSE CVPIIT

GEORGIVS GOTTLOB MILDE  
VRATISLAVIENSIS.

VIRIS

COLLEGI MEDICI ET SANI-  
TATIS VRATISLAVIENSIS  
MEMBRIS

DIRECTORI

DE CANO

ET REGIOIS

BRUNNENSIS

ASSESSORIBVS

AVSTRORIPENSIS

DOMINIS MARGENALIBVS

ET PATRONIS

OMNI PIETATIS CVLTV AC OSSERVATIO

AVTENTICITATEM DEVRNANDIS

AVTENTICITATEM DEVRNANDIS

GEORGIVS COTTGER MILDE





## PROOEMIUM.



**I**N foro medico non facile datur doctrina, quæ tot dissensibus, totque discrepantibus opinionibus exposita est, quam quidem de SPECIFICORVM existentia, eorumque modo operandi. Alii enim de illis dubitant, alii eadem prorsus negant: qui vero adfirmantem omnino sententiam tuentur, ideas adeo vagas & ambiguas de illorum effectu ac utilitate proferunt, ut difficulter admodum eorum mentem percipere possimus. Quum vero hæc materia tam ad scientiam medicam spectet, quam miseræ humanæ emolumento esse soleat: eam Dissertatione mea inaugurali eruendam & quoad vires valent, explicandam putavi. Quemadmodum enim specificorum existentiam, eo-

rumque modum operandi exponere, ad scientiam medicam, eamque haud vulgarem, pertinere, nemo sane inficias ibit: ita illorum usum & ad morbos sanandos applicationem docere, miseriam humanam subleuare, extra dubitationis aleam positum est. Præter autem principes hosce respectus nonnullæ aliæ rationes, hanc materiam eligendi, animum meum inclinarunt: Vix enim ac ne vix quidem thema quoddam medicum excogitari potest, de quo alii iterum, iterumque non exposuerunt; de specificis autem medicamentis longe dispar conditio obuersatur. Neminem enim fugit, pauciores de illis scripsisse, & hos, si dicendum quod res est, ideam eorum specificam, qua ab aliis medicamentis distingui possint, ac debeant, raro adumbrasse. Vnde passim factum est, vt hoc vel illud remedium habeatur specificum, quod tamen ad eorum classem minime pertinet: taceo, quod de modo operandi alium vbique fere sit silentium. His suffultus rationibus spero, me Lectoris propitiam voluntatem consecuturum esse, si de hoc satis perplexo argumento tantum proferam, quantum facultates meæ patiuntur. Ipsa autem ratio cum mihi commendat ordinem, vt de rebus

bus



bus primum *theoreticis* seu ad scientiam spectantibus, scilicet de *existentia & modo operandi specificorum* agam, deinde vero *practicam partem*, hoc est *remediorum horum ad morbos certos curandos adplicationem* significem.

Faxit Deus feliciter!

§. I.

Innotuit, imo inclaruit non nudius tertius, sed in retro - annis iamiam certum medicamentorum genus, quod nomine *specificorum* insigniri suevit.

§. II.

Specificorum historiae gnarum haud latebit, quod ferme *tota Medicorum respublica ne hircere quidem contra specifica ausa fuerit*; cum tamen natales suos debeant vel vago experimento, coeco experiundi conamini, euentu haud prauiiso, vel *medentium inscitia*.

§. III.

Hoc non obstante, *tantam* per longum temporum tractum *consecuta* fuerunt *famam*, vt & turba medentium, & sciola plebs ad ea ceu ad *sacram ancoram*, & Deum tutelarem *confugere* non dubitarint.

§. IV.

Aliis *index non sedeo*, specificorum tractationem adgressurus. Interim tamen non omnia, quae circa specifica vel per manus tradita sunt, aut fortan mendax fama circumfert, nec *adsensu meo comprobo*, nec *praecipiti suffragio condemno*.

§. V.

## §. V.

Cum vero iustæ methodi legibus prius alicuius rei existentia demonstranda, quam ipsius essentia explicetur: (non - entis enim nullæ sunt adfectiones) hinc *specificorum existentiam probare fas, & primum esto.*

## §. VI.

Fuerunt, & adhuc sunt, qui *specificorum existentiam plane negare*, & inter cerebrina figmenta, & mendacis ingenii ludibria referre contenderunt. Magnum illud inter Medicos nomen, HOFFMANNVS noster, b.m. inter illos connumerandus est, qui illorum existentiam impugnant. His autem verbis mentem exponit: „Interea nullus modus vel finis est conquirendi & aucupandi arcana, & aduersus morbos *specificæ*, cum tamen *nulla* in rerum natura *dentur*, vel existant, *Med. Syst. T. II. Cap. II. §. XIII.* Ne autem beati huius viri mentem sinistra interpretatione detorquere videar, alius mihi mentem ipsius interpretaturo locus facem prælucebit. Extant nimirum *Med. Syst. T. III. Cap. XIX. §. I.* sequentia: „Non autem, vt vulgi medicorum opinio fert, *specificæ* nobis audiunt ea remediorum genera, quæ semper, in omnibus subiectis, certo & indubitato salutarem in morbis exerunt effectum, & nunquam medentis spem eludunt. Eiusmodi enim virtutis medicamenta nullibi sunt reperiunda, cet. & §. II. - per *specificæ* sic dicta medicamenta nulla alia intelligenda esse inculcamus, ac ea, quæ eiusmodi agendi viribus instructa, vt ad hunc vel illum morbum sanandum efficaciora sint, magisque proficua. „ Ex quibus pronè

pròno alueo fluere videtur, quod nec *specificorum* nomen, nec rem per specifica notari solitam neget, sed ea tantum sensu limitato, restrictiuo accipiat. *Conf. etiam eiusd. Dissert. de specificis, eorumque agendi modo.* Sed aliis, qui æquo ioue iudicant, relinquo, num hæc specificorum definitio (quod tamen huius Viri post fata desideratissimi autoritate dictum sit) specificis, qua specificis quadret, & non potius multis aliis medicamentis, quæ specificorum nomine non superbiunt, iure merito competat.

§. VII.

Vrgent vero specificorum existentiam negantes sequentia momenta. Cum ex pathologico-practicis notum sit, quod *motus* in morbis & *numero* & *specie multiplices* obseruentur, dum alii quantitate vitiosi sint, vt intensi, aucti, remissi, debiles, inæquales, alii qualitate, vt inuersi, mox ad regiones periphericas tendentes, mox interiora repetentes, aut vagi, erratici, anomalici; cum præterea *tanta* sit *causarum morbosos motus* *ingignentium* *ilias*, vt mox excessu, mox defectu, indole, actiuitate, modo agendi, effectu, multum differentiaë sistant, qui fieri possit, vt marte *vnus*, *vnus*, inquit, medicamenti, specificum nimirum, *omnes hi motus, omnes he cause*, ceu gladio delphico, *debellari* possint. Porro ne vnum quidem in instructissimo instrumentorum medicatorum apparatu prostraret medicamentum, per cuius *essentiam tam absolutissimus effectus explicari* possit.

§. IIX.

Aliud desumunt argumentum *a modo agendi aut plane*

B

*plane incognito, aut difficulter explicabili.* Sponte largior vtrumque. Nemo ibit inficias, quod multa sacro tegat inuolucro natura, sec. LVCRETIVM & quod in arte diuina adhuc dentur non pauca, ad quæ intimius pernoscenda aditus haut patet. Quam multa molitur natura, quorum causas in sanctiore recessu abstrusas non detegit intellectui humano. Vbi est, qui in eruendo modo agendi specificorum, difficultates, quibus premitur, eluctari potuerit? Sed, uti in vulgus notum, non valet consequentia a modo fiendi aut inextricabili, aut ignorato, ad rei negationem. Hac ratione ex scientiarum systematibus multæ veritates & experientiæ, ceteroquin vtilissimæ & fructuosissimæ, expungarentur necesse esset.

## §. IX.

Prouocant tandem ad *specificorum effectus*, quod sæpe sæpius *specificæ* vel decantatissima, quæue inter arcana premuntur, vbi non leuis aura spei, *votis minime respondeant*, & de quibus illud PECHLINI in *Obseru.* ualeat: „Aliquando, iniquientis, in Medicina eueniunt, quæ euenire nec posse, nec debere iuratus crederes; adeo aliena illa sunt cum a scopo Medici, tum Medicaminis effectu. Nunc etiam quæ speras, & fingis animo futura, non eueniunt, & quum eueniunt, aliter quam oportet.” Sed nec hæc ratio sua radiat luce. Ex infra dicendis enim patebit, quod specificum aliquod genuinum sui vsum postulet, ut sunt præparatio corporis, *ëuacuatæ*, vtendi modus, & aliæ huc spectantes circumstantiæ. His vero præteruisis & neglectis, desiderati effectus spes decol-

decollat, sicque fit, ut specifica pro erroribus medentium vel etiam ægrorum crimina ferant. Quare *Illustr.* PRAESES scite adserit: „Cæterum, quæ vera sunt specifica, non ob sui, sed ob neglectæ specialissimæ administrationis culpam, spem artificis fallunt; vid. *eiusd. Conspect. Therap. gen. Tab. XX.* „*Caut. 10. p. 507.*

§. X.

Sed ulterius in demonstranda specificorum existentia pergere licebit. Primo (*sec. pr. log.*) *nullam inuoluit contradictionem, dari posse certum remediorum genus, specificorum nomine veniens.* Sunt enim corpora, certis principiis, uti alia medicamenta, instructa, quibus anima vsa actiua se præbet, in corpus agendo, illud mutando, motus modificando, sicque certos, determinatos effectus edendo.

§. XI.

Dato vero, quod varii variæ indolis sint, quos adgrediuntur motus, dato, quod iidem diuersis pugnent frontibus; tamen nihil impedit, quo minus specificum aliquod motibus eiusmodi anomalis imperare, eosque ad iustum moderamen reuocare possit. Cum enim *naturæ instrumentum vniuersale* sit motus, cuius ministerio in omnibus corporis sui partibus administris & officialibus vtitur, hinc etiam *intensio, remissio, omissio, suspensio, specialis, & specialissima motuum directio* ipsius imperio æque facile subiacent. Vid. STAHLIVM, ALBERTI, IVNCKERVM de motu tonico.

## §. XII.

Deinde specificorum existentiam probat *experientie suffragium*. Ex hodierna demonstrandi methodo constat, quanti sunt argumenta ab experientia deprompta. Specifica sunt medicamenta, sensu et effectu nota. Viri in Medicina summates dotibus experiendi instructi, citra causæ fallaciam, vice plus vna simplici, & mille vicibus desideratissimos specificorum effectus, experti sunt. Hinc „S FAHLIVS *Dissert. de Alterant. & Specificis in genere, Cap. I. p. 34* hæc habet: Quod-  
 „nam luculentius exemplar existentiae æque ac veræ  
 „indolis specificorum producere potuerimus, quam  
 „illam energiam partium, aut integrorum corporum  
 „animalium, animalium venenatorum nempe v. g.  
 „pulveris aut hepatis serpentum, & viperarum con-  
 „tra morsum viperarum & serpentum, hepatis aut  
 „cordis canis rabidi contra morsum canis similis, &c.  
 „quorum omnium insignem hic esse efficaciam, imo  
 „si tempestive usurpentur, infallibilem, omnis *expe-*  
 „*rientia* confirmat.

## §. XIII.

Sed vapulant apud ævi nostri *Rhadamantbos* specifica aliis adhuc respectibus. Urgent nimirum, naribus indulgendo, quod *fulcrum medicine rationalis* sit *ratio medica*, quæ intimiorem *modi operandi* medicamentorum *cognitionem* sub se comprehendit. Cum vero vel Medicorum sagacissimis non datum sit, nosse vel eruere *operandi modum*, qui numeris Platonice obscurior esse soleat, hinc rationales Medici, & quibus sanctiora præcordia, *iis*, saluo officio, *uti minime possunt*, cum ignorato eo, sine duce & luce

ce errent medentes, semperque periculo expositi sint, ut vel spe vana ægrotantes ducant, aut alicuius finistri infecuturi effectus autores existant.

§. XIV.

Virgent *dubium specificorum effectum*. Est autem contra medici officium, dubiis uti medicamentis. *Resp.* Si Medicus in arduis casibus mora præstidii præsentioris, medicamenta dubia in usum vocare velit, certe! conscientiosi Medici nomine indignum indicaretur. Posito vero, quod in usum vocandum specificum, dubii euentus sit; & simul constet, quod illo in usum vocato, periculum ex ipso morbo imminens non maius pertimescendum, tunc valeret illud „HIPPOCRATIS, *libr. de loc. in hom.* Si successerit, „sanum faciet, sin minus, quod etiam alias futurum „erat, æger perpetitur.

§. XV.

Præsertim vnam mouent, si adseritur, quod *specifica* in certas *partes effectus suos euibrent*, de quibus infra, v. g. in *v. p.* in *vias urinarias*, in *loca sedalia*, &c. nulla enim ratione per essentiam alicuius specificici explicari posse, quænam sit relatio, proportio, actio, reactio illud inter & loca illa, ita ut deinde nexus inter causam & tam determinatum & definitum effectum intelligi, explicari, applicari possit.

§. XVI.

Tandem exuuias ACHILLIS quasi induti in sua sepulcreta compellere autumant specifica, adferendo, quod si vel desideratissimas ferant suppetias, id præstent *non qua specifica*, ceu vana nomina, sed  
B 3 *qua*

14 *Dissertatio inauguralis Medico-Practica.*

*qua medicamenta experta, expertissima virtutis.* Sed præmissa iamiam existentia specificorum argumenta etiam huius obiectionis, & præcedentis valorem, inualidum reddunt.

§. XVII.

Præuisa specificorum existentia deuoluor nunc ad breuem eorum *disquisitionem*. Et cum vere entia definiri possint, merito illorum definitio initium faciat. Sequor autem iustis rationibus motus, definitionem STAHLII, quæ in *Dissert. supra citata, Sect. 3. p. 32.* sequentis tenoris est: „Intelliguntur per  
„specifica eiusmodi medicamenta, quæ certæ cuidam  
„speciei morbi ita proprie, exquisitæ, & vnice com-  
„muniter, satisfaciunt, vt, si modo vlli remedio ille  
„morbus adhuc auscultat, eundem ita absolute ac in  
„solidum tollant, vt quasi simul ac semel, aut certe  
„sine aliis adminiculis, continuato saltem vsu, mor-  
„bum vel penitus atque radicatus extirpent: vel ad  
„minimum ita coerceant, vt longe plurimum immi-  
„nuto impetu, atque vniuersa sua vi maxime debili-  
„tatus atque eneruatus adpareat. Vel ILL. PRÆ-  
„SIDIS, quam *Consp. Therap. Gen. Tab. XX.* suppe-  
„ditat: Curatio per specifica est specialissimum me-  
„dendi genus, quo per peculiaria plane, & actiuiora  
„remedia, certis quibusdam morbis exquisitæ, & vni-  
„ce adpropriata, pertinaces nonnulli adfectus sed ad-  
„huc sanabiles, ita absolute & in solidum tolluntur,  
„vt, vel simul & semel, vel continuato remediorum  
„vsu plenarie eradicentur, aut ad minimum multum  
„coërceantur, & impetus eorum refringatur.

§. XIX.



§. XIIX.

Ex hac definitione datur intelligi, quid *vero*, genuino sensu sint *specificæ*, quæ in illorum catalogum inseri mereantur, quæue expungantur, licet non sine nugis scenicis orbi medico diuendi & obtrudi soleant.

§. XIX.

Infimul adparet *differentia*, quæ inter *specificæ* & *sedantia* intercedit. *Sedantia* satis late patent, *specificæ* non item, quippe quæ angustioribus limitibus circumscripta sunt. *Sedantia* vel sulphure suo, aut mucagine aliqua in corpus simpliciter agunt, in vniuersum dolorum supplicia mitigando, motuum impetum consopiendo, spasmos relaxando, fibrarum stricturas remittendo, inducias tantum sæpe cum morbo faciendo; *specificæ* autem determinate agunt in certa corporis loca, motus plane inuertendo, & aliorum diuertendo.

§. XX.

Tempus nunc esset, syllabum *specificorum* contexendi. Sed supersedere posse hoc labore mihi videor, cum ILL. PRAES. prolixum eorum catalogum *Consp. Therap. gen. Tab. XX.* inseruerit, ad quem B. L. remitto.

§. XXI.

Pedem itaque moueo ad *modum operandi*. Sed quis est, qui hanc hieroglyphicam quasi, & mysticam agendi rationem e tenebris suis protrahere valeat? Scire hic omnia cum ARISTOTELE temerarium est, aut nescire omnia cum PYRRHONE piget,

get, aut ridere omnia cum DEMOCRITO dedecet. Eorum quidem demorsos sapit vngues labor, qui *crassis conceptibus inherendo*, venerandi *mechanismi*, ceu APOLLINIS PYTHII *oracula* loquuntur; hinc non potest non fieri, quin dente superbo male tangant ea, quæ sanctior medicina præcipit. Haud quidem *ἀσυμβολος* sum, quod etiam physico - medicis qualitatibus adiiciendus oculus sit, cum alias his in Medicina neglectis seculum medico - barbarum futurum esset: Sed microcosmica hæc philosophandi ratio debet esse inclusa iustis cancellis. Nemo negabit, nec negabitur vnquam medicamentorum operationem sine contactu fieri non posse, confitentibus id ipsum *Viris Illustribus* supra citatis. Cum vero corpus nostrum non sit solitarie physicum, mixtum, structum, sed viuum, cui diuinitus motor ingentus est, hinc sensu vitali iudice, medicamentorum virtutes mere physicas idem ille moderatur, dirigit, applicat, minuit, intendit, inuertit. Si vero etiam in perscrutanda physico - mechanico - medica fiendi ratione desudant, tamen incassum furiunt, nescii tandem vbi pedem figant, ita vt GALENI verba sua facere cogantur: „Quædam substantiæ habent „proprietas ratione incomprehensibilem propter „sui subtilitatem: non subministratam sensibus, propter magnam sui altitudinem, *lib. de suspens.*” Si porro etiam secundum *Philosophiam corpuscularem* hisce tricis expedire se nitantur, ita vt ex innumeris fere corpusculorum figuris, eorum conflictu, actione & reactione huncce specificorum operandi modum explicare audeant, tamen potius huius princi-

prius insufficientiam probant, quam ut ex ipso hunc agendi modum demonstrare valeant. Et illi, qui ex *spiritibus animalibus*, vel *fluido uerueo* specificorum agendi modum probare allaborant, certe! cum rationibus suis insanire videntur. Licet enim motum horum spirituum sibi fingant per lineam rectam, siue recursiuum, s. flexuosum, siue verminosum, siue obliquum, & *μυεια ἄλλα* HIPPOCRATIS, tamen ne illos quidem in sui erroris patrocinium trahere possunt, qui malunt credere, quam iudicare. Tandem prouocant ad *consensum* illum decantatissimum *partium*, ex quo specificorum agendi modum probare contendunt. Verosimilem hanc esse rationem statuit HOFFMANNVS: „Neque dissimilis, inquit, „mihi specificorum sic dictorum videt ratio, quod „nimirum per consensum partium vim suam in uniuersum corpus diffundant; „ Vid. *Med. Syst. T. III. Sect. I. Cap. V. §. XLIII.* Consensum, commeatum, complicationem, communionem & vasorum, & partium neruofarum *ἀνοψία* anatomica luculenter docet. Sed contrarium potius exinde elici posse videtur. Nam cum (per defin. specif.) specifica *determinate* agant, hinc lege consensus huius in *uniuersum* corpus vim suam diffundere possint, consequenter *multo minus* ceu *specificae* agant. Cum deinde specifica in *motus* specialissime vim suam exerant, tota autem motuum œconomia altiori & diuiniore principio subiaceat, quod iamiam a Doctoribus Psychologismi medici euictum, hinc tali precario admissio principio superfedere, & carere possumus.

## §. XXII.

Cum itaque *diuiniore medicinae systema* a Viris in Medicina summis, & quorum nonnulli gloriae suae viui adhuc interfunt, *euentissimis argumentis demonstratum* sit, hinc *secundum illud ex hisce difficultatibus* quodammodo *emergere licebit*. Nimirum spiritus ille rector, nostri dominus diuinitus nobis ingenuus corporis sui omnimoda non tantum cognitione instructus, sed & facultate insita, obiecta in corpus sumta, diiudicandi praeditus est. Hoc perficit, ceu autocrator & therapeuta sui corporis, per sensum vitalem. Hac ratione in corpus sumta percipit, deque iis perceptis iudicat; si eorum qualitates oeconomiae animali respondent, in salutem conuertit, sin minus, motibus autocraticis contra illa insurgit, eaque vel corrigit, alterat, vel corpore proferbit.

## §. XXIII.

*Exigentes ad hoc systema specificorum operationem*, nemo non largietur, quod specifica effectuum euentu, sensuum fide, determinatam maxime & definitam agendi rationem habeant. Sicuti vero principii inorganici motus non semper ad materiarum praesentiam, aut quantitatem, aut qualitatem, sed ad illius sensibilitatem, genium, actiuitatem, adprehensionem, praefigurationem, suppositionem, aestimationem, diiudicationem, intentionem dimetiendi sunt: ita interna motuum oeconomia non semper vbique patens, vř secundum palpabilem, crassum conceptum sensus eo pertingere queant. Sic etiam se res habet cum *specificorum agendi ratione*. Tanta est habili-

habilitas specificorum, vt principium vitale quidem ad hos vel illos motus excitetur, præuia illorum recognitione, sed pro diuerso sensum vitalem adficiendo modo, diuersus operandi modus, imo huic sensui conformis motus excitatur; hoc tamen sensibus non æque peruium est, qualis sit illa relatio illud inter & huius nominis remedia, vt ad tam determinatos & definitos motus excitetur.

§. XXIV.

Minime vero hic loci silentio prætereundum, quod sic dicta *specifica* præsertim sint *medicina motuum*, eos alterando, intendendo, remittendo, inuertendo, aliorum conuertendo, *vid. supr.* ita vt etiam motus habituales specificorum energiæ cedant.

§. XXV.

Sed scite obiici possit: Si *specifica in motus agunt*, verbo tantum ab aliis huius effectus medicamentis *discrepant*, *re vnum sonant*, hacque ratione *omnia alia medicamenta*, quæ motus adficiunt, *specifica* audire possunt. *Respondetur*, quod alia medicamenta, quæ modificandis motibus inseruiunt, in *totum* motuum systema effectus suos edant, e contrario vero *specificæ determinate & definite* in certos motus, & certa corporis loca agunt, sicque specificam suam efficaciam satis luculenter probant. Sic v. g. *aloë* generatim quidem sanguinem commouet, determinate autem efficaciam in vias hæmorrhoidales exerit; *millefolium* præsentissime medetur turbis venæ portæ complacandis; *cantharides* specifico effectu

fectu siphunculos vrinarios petunt, qua de re videris *Miscell. Nat. Cur. Dec. II. A. VIII. Obs. 337.* BARTHOLIN. *Cent. V. Hist. XXI. & LXXXII.* ita ut non raro cruentas eliciant vrinas.

## §. XXVI.

Progredior nunc ad *modum vtendi.* Cum per definitionem specifica sint talia medicamenta, quæ morbos ceteroquin adhuc sanabiles, absolute & in solidum tollunt, *vid. supr.* certe! non sequitur, vt illa, sicut HERCVLES monstra, monstra morborum, ceu medicamenta herculea, domare possint, neglecto iusto, & secundum leges artis requisito adhibendi modo. Quem itaque subit miratio, si sæpe effectu ex hac etiam ratione destituantur. Cum vero iusta adhibendi specifica methodus tam multum ad feliciorum eorum effectum faciant, hinc ducibus Viris practicotatis, sequentibus eam includo momentis.

## §. XXVII.

*Methodus generalis præmittatur.* Hanc assolunt *plethoræ*, si adsit, *solutio*; deinde *primarum viarum repurgatio*; porro *humorum qualitate vitiosorum correctio.* Si præterea, morbi historia interprete, *status verminosus*, vel *alius morbus* subfit, etiam huius habeatur ratio.

## §. XXVIII.

Quod primo ad *venæsectionem* attinet, pro circumstantiarum indiuidualium ratione quantitas sanguinis vena secta mittendi diiudicetur. Insimul commodum administrandæ venæsectionis *tempus* obseruetur, vel pro re nata secunda, tertia vice instituat.

## §. XXIX.

§. XXIX.

Deinde *primarum viarum repurgatio* respicienda venit. Hoc expediatur non purgantibus, sed talibus subiectis, quæ aluum, si non adeo obstructa, sequiorem reddunt, vt ex *dieteticis, lenientibus*; aut *aluum ducentibus*, vt *rhubarbarinis, pil. balsamicis*, aut BECCHERIANIS *correctis*, aut STAHLIANIS, HOFFMANNIANIS, IVNCKERIANIS. Aut alui officii sui admoneri potest *clysmate*, stimulo salino aut non, aut leuiter armato, quod etiam pro rei exigentia *reiterari* potest.

§. XXX.

Porro *humoribus qualitate vitiosis corrigendis* Medicus inuigilet. Sicuti vero qualitates vitiosæ specie admodum differunt, ita v. g. sanguinem spissum fluxilem & permeabilem reddat, obstructionum repagula referet, humores vt acido-salinos contemperet, biliosos cicuret, & deinde per adpropriata emunctoria corpore eliminat.

§. XXXI.

Si *status verminosus* subsit, prius ab illo medens ægrum immunem reddat, ea tamen conditione & cautione, vt ceteris paribus hoc fieri possit. Et cum anthelminticorum quædam minus tuta sint, hinc consultum erit, ægrum ab illis ingratis incolis stratagemate medico liberare, nimirum per os superius ingerantur amara, vt vermes hac ratione in crassa fugentur; post vnam vel alteram horam per

22 *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

os inferius dulcia iniiciantur, nimirum clysmata ex puro lacte, vel, si mauis, ex puro melle paratum. Hac ratione vermes dulcia auide adpetentes, in crassa alliciuntur, in crassis contenti facilius & citius euacuari possunt.

§. XXXII.

*Hæc in limine curationis per specifica, rite obseruata, eximiam locant operam.* Cum enim per superiora, §§. XXII. XXIII. *sensus agentis microcosmici* circa *specifica exquisitissimus* sit; cum porro *plethora*, & *humorum vitia* morbos reddant *grauiores*, magis refractarios, longius excurrentes, *primarum præterea vitia viarum specificorum energia remoras iniiciant*, imo penitus *eam infringant*; hinc idem illud agens contra *hæc obstacula insurgit*. Et cum illi vel *triplici hoste* conflictandum, quos de suis ceruicibus depellendos curat, non potest non fieri, quin aliis negotiis detentum & implicitum a labore primario diuertatur, sicque sine per specifica obtinendo cadat, cum e contrario his prius ablatis sequius reddatur, vt sub constantiori tentaminis consecutione hostem in corpus desæuiens exturbet.

§. XXXIII.

Methodo generaliori præmissa primum circa specificorum vsum momentum *curatissima est morbi cognitio*. In omnibus morbis persanandis primum & primarium est, *nosse morbum*, eumque ab aliis morbis varia specie sæpe illudentibus, *discernere*. Eo magis Medicus in curatione morborum per specifica eo aduertat animum, vt morbum exactius per-  
spe-



spectum habeat. Vrgent hoc tantum non omnes Practici. Præcipue *Viri Illustr.* vt STAHLIUS, *Dissert. cit.* IVNCKERVS *l. a.* id quouis modo inculcant. Videat itaque Medicus, an morbus sit *idiopathicus*, aut *symptomaticus*, aut *deutero-pathicus*; morbo enim primario non prius fugato, facile symptomaticus morbus specificorum energiæ cedere recusabit; imo idiopathicus morbus, si præsertim incongruis medicationibus in habitum degenerauerit, specificorum virtutem illudit: etenim natura per incongruas medicationes vel alias *ἀμεθοδίας* (vid. STAHLII *Dissert. de sensu vitali circa incongruas medicationes*) turbata, aut motibus a scopo alienis, & frustaneo conatu deferuentibus, pertinaciter inhæret, aut de nouo sed præceps prælium ingreditur, cum prioribus conaminibus exciderat, eo euentu, vt specifici virtus, haud bonis ægrorum rebus præscindatur.

§. XXXIV.

Nec in hoc desinat Medicus. Totus fit præterea, vt specialissime *morbi speciem* sciat, quo iudicare possit, *quale* huic specificum optime quadret. Sic, edifferente STAHLIO, *b. m. extractum Peti*, siue Nicotianæ minoris, aut rotundifoliæ, hypochondriacam tussim nihil alterat, aut subleuat, pectoralem vero præsentissime, *Dissert. cit.*

§. XXXV.

Alterum circa specificorum vsum momentum est *ἐναρξία*. Præsertim hæc *ἐναρξία* sedulo attendenda

da in morbis paroxyzando adfligentibus, aut periodicis. Tempus notabile in eiusmodi morbis est tempus ante paroxysmum, sub paroxysmo & post illum. Hæ temporis periodi occasionem horum subdolorum morborum debellandorum capillatam quasi offerunt, vt eo facilius vinci possint; hoc tamen non prætermisso, quod quidem specificorum nonnulla ante pathematum insultus & paroxysmos in vsum vocari debeant; interim tamen tantum abest, vt alia illorum paroxysmis ferocientibus, aut post illorum discessum adplicata leuaminis quid adferant, vt potius illa exasperando, magis contumaciora reddere soleant.

## §. XXXVI.

His recensitis adhuc accedat *iusta* horum medicamentorum *dosis*, *adpropriatum regimen*, & *prudens* eorum *continuatio*.

## §. XXXVII.

Restat *dieta* morborum specificè curandorum. Non quidem dicere ausim, *dari dietam specificam* in morbis specificè curandis, ne cuidam offendiculo futurus sim. Interim tamen propria cuius morbo datur diætæ; quare, confitentibus id ipsum omnibus Practicis, *dieta hisce morbis conuenientissima & exactissima vitæ ratio vtilissima æque ac summe necessaria est*. Quicumque itaque hanc, & in præcedentibus recensita obseruabit, is certe! desiderato poterit fine, quantum scilicet malo plus valet ars nostra diuina.

## §. XXXIIX.

§. XXXIIX.

Non displicebit, moniti *Virorum Illustr.* adhuc mouere mentionem, nimirum ALBERTI *Therap. Med. d. specif.* quod dentur specifica, quæ hodiernum adhuc multos medicos lateant, & magis imperitis hominibus cognita sint. Euenit inde, vt interdum anus aut opilio cum simplici herbula, sine vilo beneficio admirandos effectus perficere possit, quales stupendæ eruditionis & grandiloquæ experientiæ artifex perficere non potuit. Et IVNCKERI, *Therap. gen. Tab. XX. caut. 4.* quod plebeiorum traditiones, quæ de specificis circumferuntur, vt promiscue non sint contemnendæ, ita a rationali Medico non adeo auide expeti, multo minus ad superstitionem vsque coli debeant.

§. XXXIX.

M V T A T  
Multo plurimum in hac specificorum tractatione mentionem fieri potuisse, vltro largior. Sed tam varie ratione morbi, & indiuiduorum, & aliarum rerum intercurfantium circumstantiæ obueniunt, vt „illud „GALENI: multa sunt in praxi, quæ nec „scribi nec dici possunt, commode de vsu specificorum valeat: multa sunt in vsu specificorum, quæ nec scribi, nec dici possunt. Quare prudentiæ, & iudicio Medici discretiuo-practico relinquenda sunt.

§. XL.

Calamum nunc pono. Sed veniam indulgeat B. L. si fortean hæc tractatio (sic enim mihi timeo) *expectationem fallat*. Lineæ sunt prolixioris tractationis, quas consummatori peritiorum labori ne subiungere quidem ausim. In re difficili difficile certe! est, multis placere, omnibus, difficillimum. Verum enim vero cum Legibus Academicis id poscentibus, specimen profectuum academicorum exhibendum sit, hinc hancce de specificis tractationem leui penicillo adumbrasse sufficiat, subiunctis notis, vt summum Dei Numen illam, qualis qualis sit, in sui honorem, & ægrotantium leuamen clementissime valere concedat.

T A N T V M.



PRAE.

VIRO  
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO  
GEORGIO GOTTLOB  
MILDE

OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM  
PRAESES,

**A**rdua omnino res est, quam, CANDIDATE doctissime, euoluendam dissertatione TVA inaugurali suscepisti. Qui enim de remediis specificis & de illorum modo operandi exponere sustinet: ille profecto per tesqua, spineta ac vepreta permeare cogitur. Etenim sunt, qui hic vel contradicunt & confunduntur: quia horum remediorum effectus maxime determinatos, vniceque & exquisite adpropriatos cum hypothese sua, de qualitatibus mere physicis, conciliare non possunt; vel dubii haerent, dum operandi modum perspicere non valent; vel denique de us dubitant, quod eorum effectus ad vota non semper succedant. Sed non opus est rationibus dubitandi, vbi rerum testimonia a teo luculenter caussam decidunt, vt omne penitus dubium vere iudicantibus eximi possit. Interim

D 2

sciendum

sciendum est, multa quidem ab auctoribus specifica passim celebrari, quae tamen non nisi generaliore modo effectum suum praestant: unde, si umquam, HIPPOCRATIS aphorismus de experimento fallaci & iudicio difficili hic certe locum habet, ut vere specifica a reliquis discernere possimus. Neque opus est multitudine specificorum: in plurimis enim morbis genuina suppetit ratio, ideoque etiam methodica eorum tractatio per remedia generaliora efficaciter fieri potest: in paucioribus vero quibusdam morbis neque natura sibi consulere, neque ars methodice succurrere valet: quare in iis praecipue casibus Dei clementia nobis concessit vere specifica, ut empirice quasi festinatum auxilium ferre liceat. Perlustranti mihi, CANDIDATE clarissime, dissertationem TVAM, mox innotuit, TE sublimiorem hanc de specificis Theoriam satis discrete tractasse, & duo extrema sollicitè euitasse: quae calami modestia egregiorum in studiis profectuum iucundus interpretator est. Atque felix hoc eruditionis augmentum facile praevidere potui: litteris enim humanioribus bene praeparatus ad nos accessisti, & cursu academico doctrinam medicam, tam theoreticam quam practicam, laudabili industria, publice, priuatim & priuatissime ex ore docentium hauriendo excoluisti. Quam ob rem gratulor TIBI & vere gratulor: faxit Summum Numen, ut Doctoris gradu ornatus familia TVAE decus, civibus autem TVIS emolumentum atque omnibus, qui TVO consilio vsuri sunt, praesidium adferas salutare.

Vale d. d. XVI. Sept. MDCCXLVII.

PRAE-

PRAEFOBILISSIMO,  
DOCTISSIMO ATQUE ORNATISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.  
CHRIST. GOTTLIEB KRATZENSTEIN  
MED. ET PHIL. D.

**Q**uo minus hucusque distincte satis atque dilucide specificorum vel sympatheticorum operandi modus expositus fuit, in eo maiorem sane laudem Tibi vergit, Doctorande dignissime, quod TV hanc rem admodum arduam adgressus eamque ex genuinis principiis partim physicis partim etiam metaphysicis sublimioribus explicare conatus sis; idque successu satis felici. Nostri aevi medici aut sympatheticorum effectum plane negant & eiusmodi medicamina inter superstiosa referunt; aut eorum operandi modum ex effluviis medicaminis per atmosphaeram dissipatis & physice in corpus aegrotantis agentibus derivant. Sunt vero etiam, qui neque effectum sympatheticorum negare neque eundem physice explicare audent, sed omnem actionem eorum imaginationis vi tribuunt. Sane quidem in permultis casibus ad eandem nobis erit respiciendum; sed dantur alii effectus sympathetici, ubi nullus imaginationi datur locus. Quid enim, si excrementa calida hominis sani ipso inscio cum fermento miscemus & agitamus

tamus, eique hoc modo enormes spasmos colicos conciliamus, imaginationi hic erit adscribendum? Nihil sanie Et si per effluvia effectus produceretur, nihil foret certius nihil conuenientius, quam ut potius corpus eius, qui miscelam agit, tamquam proximum multo uehementius adficiatur. Necessesse itaque est, dari alium adhuc operandi modum. Et eum quidem Tu, CANDIDATE doctissime acu tetigisti. Dum enim actiones physicas cum metaphysicis & has iterum cum medicis callide combinas, neque in scyllam neque in charybdin incidis; sed firmo hoc atque stabili remigio uectus ambas feliciter praeternaugas atque ad ueritatis littora adpellis. En itaque indefesse TVAE industrie, cuius ego semper testis fui, premium, quod TIBI in laurea doctorali hodie offertur. Quo de bra-beo, ut TIBI ex animo iam gratuler & mea sympathia, ex obfirmato iam amicitiae vinculo oriunda, exposcit & meritum TVVM efflagitat. Age iam, atque ostende, quantum praeferenda sit medicina, solidis principis physicis & metaphysicis superstructa, medicina empirica. Nullum est dubium, quin TV, medelam aegrotis secundum exactam morbi cognitionem theoreticam paraturus, longe de meliori & citiori successu in praxi TVA laetabere, quam ii, qui medicinam pigrorum profitentur & binis medicaminibus se uelle omnes curare morbos iactitant; id quod iam uotorum meorum summa. Vale denique nostraeque amicitiae non fucatae sis memor. Dabam Halae D. XXV.  
Sept. MDCCXXXVII.

Fin



Ein Bündniß, das die Unschuld schon in zarter  
Jugend aufgerichtet,  
Ein Bündniß, welches den Verstand auch bey erwachsenen noch verpflichtet,  
Ein Bündniß, das so Treu als Liebe um desto stärker unterstützt,  
Je stärker es auf beyden Theilen zu innigem Vergnügen nützt;  
Ein solches Bündniß sag' ich muß uns ein vollkommen schönes Leben,  
Was Gram und Kummer nur verlacht, recht mercklich zu genießen geben.  
Freund! denk' ich nur in was zurücke, so stellt sich zwischen mir und Dir,  
Mir nach den allerklärsten Zügen ein so gestalltes Bündniß für.  
Seh' ich der Freundschaft Ursprung an, so stammt sie fast schon aus der Wiegen,  
Denn unser Kindheit muß uns schon so ganz genau zusammen fügen,  
Es stieg die Gleichheit der Gemüther des Alters Jahren gleich empor,  
Und kurz: Es brach der Freundschaft Stärke von Zeit zu Zeit nur mehr hervor.  
Wir wehlten eine gleiche Art, Gott und der Welt dereinst zu dienen,  
Und da Dein Umgang, Werther Freund, mir immer vortheilhaft geschienen,  
So

So gieng er hier auf hohen Schulen mit erst ver-  
stärktern Kräfften an,  
So daß ich an die süßen Stunden nicht sonder Lust  
gedencken kan.  
Hygaa krönt mit mir zugleich Dein unermüdetes Be-  
streben,  
Die Grösse Deiner Wissenschaft läßt mich der süßen  
Hoffnung leben:  
Es werde (wie ich sehnlich wünsche) Dein Glück  
dadurch vergrößert seyn,  
Wobey ich mich aus treuem Herzen zu allen Zei-  
ten werde freun.

Halle den 25. Sept.

1747.

Hiernit empfiehlt sich dem Herrn  
Doctorando zu ferner behar-  
licher Wohlgenogenheit

Desselben

ergebenster Freund und Diener

C. S. Brunschwig.  
Cand. Med.

Ma 4713


ULB Halle 3  
003 901 068



80







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA  
DE

**SPECIFICIS**  
EORVMQVE  
**OPERANDI MODO ET VSV**

15  
QVAM  
AVXILIANTE SVMMO NVMINE  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
**GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE**  
MODERATORE

*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO*

**DN. JOANNE JVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBL. ORD. PRACTICO ORPHANOTROPH. ET PAEDA-  
GOGII REGII FELICISSIMO

FAVTORE PRAECEPTORE  
OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV  
AD CINERES DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

AD DIEM *SEPT. MDCCXLVII.*  
PVBLICAE PLACIDAEQVE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS  
**GEORGIVS GOTTLOB MILDE**  
VRATISLAVIENSIS.

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGER ACAD. TYPOGR.